PETRUS PICTAVIENSIS. PETRUS COMESTOR

Frankreich, 13. Jh. Seite 116v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=901
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



et humiliatus est: differentur hec mala. nec fient
in diebus tuis. et colligam te ad patres tuos in
pace. quod non est intelligendum: de pace ipsius regis.
Ipse enim occisus est a pharaone. sed de pace populi. i.
prius quam inferret populo: quod comminatus fuerat.
his auditis: mittens rex in omnem provinciam.
congregavit omnem populum in ierusalem. et stans super gra-
dus: legit cunctis audientibus omnia verba libri.
et percussit fedus coram domino. et compulit omnes sacra-
menta prestare: ut leges moseas per omnia custo-
dirent. et deleuit aruspices. et maleficos omnes
et omnia vestigia ydolatrie redegit in pulverem.
etiam vestigia quedam serpentis enei quem contri-
verat ezechias. ob hoc: in prologo sophonie legitur
iosias contrivisse eum. et contaminavit excelsa
~~et ignem thophet~~. et vallem tophet. et ignem
moloc. forte: ossa mortuorum usque sparsit. vel
quelibet alia immunda. ut pocius abhomi-
nabilis quam venerabilis locus appareret. Equos
quoque solis et currus quos depinxerant reges iu-
de in introitu templi iuxta exedram natam
melech eunuchi. penitus destruxit. fecerant
ibi iudei ydolum solis qui puerum in urbem quod
nullum patitur senium. sed cotidie renovatur.
fecerant et ei equos et currum putantes: quod in
hunc modum helyam transtulisset. et ascendens
rex in bethel: super altare quod fecerat ieroboam
combussit ossa sacerdotum. et falsorum prophetarum. eruta
de sepulcris excelsorum. iuxta verbum abdon prophete.
cuius titulum cum legisset in sepulcro: precepit
ne moverentur ossa eius. nec etiam illius cum quo
sepultus erat. Id ipsum fecit in excelsis samarie
et in urbibus manasse et effraim. et simeon.
usque in neptalim. Ossa de tumulis excel-
sorum eruta super altaria comburens. et tam
ossa quam altaria: in pulverem redigens. hoc
predictum erat de iosia: ante annos. ccc. lx.
et unum. et reversus est in ierusalem: fecit phase convo-
cans ad illud: et filios israel qui captivitatem assy-
riorum aliquo modo effugerant. vel etiam de captivitate
aliquo casu redierant. et traditur ex eis hiemisse. ad
xi. nathineorum. Non est factum phase tale a diebus iu-
dicum. In paralypomenon legitur: a diebus samuel. quod
possit dici vicio scriptorum factum. et scriptum esse samu-
elis pro salomonis. nisi id ipsum in iosepho legeretur.
Potest ergo intelligi. quod samuel fecit phase. et si

in hystoria non legatur. Quod autem iudices fecerunt
phase: certum est: quoniam moyses et iosue iudices fuerunt.
et factum est hoc phase in ierusalem octavo decimo an-
no regni iosie. De morte iosie.

In diebus eius ascendit pharao nequaquam rex egipti:
contra regem assyriorum. Audierat enim eum iam
debilitatum: quia medi et babilonii amonar-
chia eius recesserant. et estimabat quod de facili pos-
set obtinere syriam. Primo aggressus erat re-
gem ad remon. qui regnabat tunc in carcamis.
Descendit ergo iosias in occursum eius. prohibens ne tran-
situm faceret per iudeam. et misit pharao ad io-
siam: dicens. Quid mihi et tibi rex iuda? Non ad
versum te venio. ad eufraten propero. mittit me
deus ad medos. sine me. ne deus qui mecum est interfi-
ciat te. et non adquievit iosias. sed cum rege ad remon
componebat acies: ut dimicarent adversus phara-
onem. et forte dum transisset a curru in currum:
qui sequebatur eum more regio: occisus est a sagit-
tariis in campo magedon. et planxit eum insola-
biliter ad remon rex cum exercitu suo. unde illud dic-
tum est. erit planctus sicut planctus ad remon. Tra-
ditur autem: quod iuxta arborem et fontem occisus fuit.
que statim aruerunt. et relatus est in ierusalem. et se-
pultus in mausoleo patrum suorum. et planxit eum
universus iuda et ierusalem. et maxime ieremias. qui
super exequias eius scripsit trenos lamentabiles. quo-
modo sedet sola civitas. etc. Quibus utebantur canto-
res et cantatrices super exequias iosie. et longis tem-
poribus in iudea super iosiam eos replicabant. Quibus
postea addidit idem ieremias: alias lamenta-
tiones super excidio civitatis. In diebus
iosie: quartus romanorum rex: ancus marcius nume
nepos ex filia. adventinum montem et aniculum
urbi addidit. Super mare. vi. x. a urbe mili-
ario: hostiam condidit. Oraculo dodoneo primum
grecia usa est. Quintus romanorum rex: tarquinius
priscus. qui circum rome edificavit muros. et clo-
acas. et capitolium extruxit. ludos romanos
instituit. arion adelphino intenarum deportatus
dicitur. Reliquit autem iosias tres filios. eliachim:
qui et iecomias: primogenitum: xx. v. annorum. Me-
dium autem ioachaz. qui et sellum dictus est. xx. iii.
annorum. et tercium mathaniam. circiter. viii. an-
norum. Tulit ergo populus terre medium filium ioachaz. et
constituit eum regem pro patre suo. quod tribus mensibus

Incidenta